

est, numerum absolute ac per se consideratum versatur, passiones videlicet eius, & totam numerorum vim una cum arte numerandi diffuse, ac diligenter inquirens, explicansq;. *GEOMETRIA* deinde de quantitate continua immobili disserit, & terræ aliarumq; rerum magnitudines metiri docet. *MUSICA* uero circa quantitatem discretam, hoc est, numerum facta comparatione cum alio versatur; sonorumq; concentus, atq; harmoniam considerat. *ASTRONOMIA* demum de quantitate continua, magnitudine mobili disputationem instituit, & cœli, astrorumq; motus inuariabiles perscrutatur.

*HARVM* autem quatuor scientiarum Mathematicarum (ex quibus quidem omnes aliæ quoque modo de quantitate agentes manant, ac propagantur) latissime patens est. *Astronomia* ob multitudinem rerum, quas considerat; & ob id dignissima, simul ac iucundissima ab omnibus semper habita est, ut in nullam alteram scientiam plus studij, laboris, ac diligentia contulerint antiqui Philosophi, quam in hanc unam *Astronomiam*. Sed quoniam successu temporis plurimi ab hac egregia disciplina prolixitate librorum, ac difficultate rei perterriti abhorrebat, ita ut penè iam collaberetur pulcherrima hæc scientia; Ideo *IOANNES DE SACROBOSCO* natione Anglus egregius sua tēpore Philosophus, ac Mathematicus, qui floruit circa annu Domini. 1232, videlicet ante annos 337, volens huic malo succurrere; in communem studiosorum vilitatem ex probatissimis, selectissimisq; *Astronomis*, videlicet, *Ptolemæo*, *Alphragano*, *Albategino*, & plerisque alijs compendium quoddam exiguum vniuersæ *Astronomiæ*, quod esset veluti introductio quedam ad scriptores *Astronomiæ* grauiores, summa & accuratissima diligentia conscripsit; quod quidem ad nostra vsq; tēpora magnū semper in scholis omnibus obtinuit nomen: In eo. n. omnia mira breuitate pertractantur, ut nihil fere omitatur eorum, quæ ad *Astronomiam* spectat, nihil etiā apponatur, quod ad rem non pertinet; quod quidem esse probatissimi scriptoris munus, nemo est, qui ignorat. Hoc igitur opusculum visum est nobis annotationibus copiosioribus illustrare, in quibus conati sumus, quantum fieri potuit, sententiā primo auctoris simplici narratione explanare; Deinde ea, quæ ipse videtur omisisse, supplere; & quæ nimis succincte docuit, longiore sermone dilucidare, insistentes semper vestigijs antiquorum *Astronomorum*, ad dentes insuper obseruationes nonnullas recentiorum, ut perfectius intelligi